



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,  
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et  
Ivrisdictione Ecclesiastica**

**Bene, Thomas del**

**Lugduni, 1674**

ij. An, & quid dicendum, si egressus fuerit necessitate ductus?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

SECTIO XXIII.

An immunitate priuetur, qui vulnerat, vel etiam occidit Sacerdoti peccata sua actu confitentem, vel actu quodcumque aliud Sacramentum fumentem?

SUMMARY.

1. & 2. Occidentem penitentem Sacerdoti sua peccata confitentem, vel quodcumque aliud Sacramentum actu fumentem, non priuantur immunitate, secus si id facinus committant animo hereticali, aut cum errore intellectus.
3. Neque valet argumentum in hoc delicto à paritate, vel maiori rationis.
4. Talis delictus indignus est, ut ab Ecclesia recipiatur speculatio delicto, & persona, secus est speculatio Ecclesiae pietate.

Respondetur etiam negatiue, ob easdem rationes supradictas: atque ita præter alios in terminis docet Diana p. 6. tract. 1. resol. 26. contra Barbof. de iure Eccles. lib. 1. cap. 3. n. 98. & Trullench. in Decalog. tom. 1. lib. 1. c. 11. dub. 3. n. 21.

Obiicies, qui in vilipendium Sacramenti Confessionis, vel cuiuscumque alterius Sacramenti tantum facinus committit, contemnit Ecclesiam, & Christum Dominum auctorem Sacramentorum: ergo immunitate priuetur.

Respondetur, distingo consequens, si id facinus committat animo hereticali, seu cum errore intellectus, saltem rationabiliter præsumpto, concedo consequens, quia tunc immunitate priuetur, ut hereticus, vel saltem, ut de hæresi suspectus: si id facinus committat non tali, sed alio modo, nego consequentiam; quia tunc facinus, licet sit grauissimum, & enorme, non tamen est de exceptis: iura autem antiqua, & maxime Constitutio Gregorij XIV. omnino vetuit, extrahere, præterquam in casibus exceptis, sublata etiam facultate aliter interpretandi. Quapropter ad minus censeto in tali casu consulendum esse Summum Pontificem.

Instabis, qui committit homicidium proditorium, vel qui occidit, vel etiam mutilat in Ecclesia, & secundum aliquos etiam extra Ecclesiam, cum spe confugiendi ad Ecclesiam, immunitate priuetur: ergo multò magis priuabitur, qui in vilipendium Confessionis, vel cuiuscumque alterius Sacramenti tantum facinus committit.

Respondetur, nego consequentiam: quia in pœnis (præsertim in præiudicium immunitatis Ecclesiasticæ, quæ quammaximè fauorabilis est) non valet argumentum à paritate, vel maiori rationis, ut supra dicebamus, scilicet 3.

Urbis, indignus est, ut ab Ecclesia recipiatur, cap. fin. de immunit. Eccles. ergo.

Respondetur, distingo antecedens: indignus est, ut ab Ecclesia recipiatur, si spectetur delictum, & persona, concedo (quapropter præter quidem in ipsum talis pœna statuitur, at esse statutam, nec ex iure antiquo, nec ex nouo Gregorianæ Constitutionis apparet: si spectetur pietas S. Maris Ecclesiae, in quo magis relucet eius pietas, nego. Vide, quæ dicebantur supra dub. 19.

Thom. Delbene de Immunit. Eccl. Pars II.

DUBITATIO XXV.

An possit reus à loco sacro extrahi inuitus?

SECTIO I.

Dubitacionis Resolutio.

SUMMARY.

1. Reus à loco sacro extrahi inuitus, & contra voluntatem Ecclesiae non potest.
2. Reus si libere à loco sacro egrediatur, potest capi, & puniri per iudicem laicum, cum immunitas res concessa sit tantum ratione loci.

Respondetur, quod non possit reus à loco sacro extrahi inuitus: quod si extractus fuerit inuitus, restituendus sit Ecclesiae. Atque ita habetur in l. 2. Cod. de his qui ad Ecclesiam confug. & in cap. inter alia, de immunit. Eccles. cap. de his qui ad Ecclesiam confug. cap. sicut antiquitus, cap. miror, c. frater, c. eum, & c. de pœnit. 17. q. 4.

Dixi, quod non possit reus à loco sacro extrahi inuitus, quia si libere egrediatur, poterit eum sic egressum iudex secularis capere, & punire, cum immunitas reo concessa sit ratione loci. Vnde cum dicitur, non violari immunitatem Ecclesiae, si capiatur reus in Ecclesia seipsum offerens, nolens scilicet frui immunitate Ecclesiae, intelligitur, dummodo non capiatur in loco sacro, sed postquam exiit à loco sacro, cum immunitas sit directe concessa loco sacro, cuius privilegio non potest ipse cedere, iuxta ea, quæ dicam dub. 26. & ex communi docent Nauar. cap. 15. num. 21. Grassi. lib. 1. cap. 1. num. 47. Couarr. cit. cap. 20. num. 17. Farinac. in append. de immunitat. cap. 19. n. 306. Decian. cit. lib. 6. cap. 26. n. 11. Suar. lib. 3. cap. 12. n. 5. 6. Lezana verb. Immunitas Eccles. num. 18. Layman lib. 4. tract. 9. c. 3. n. 13. & Bonacina disp. 3. q. 1. s. 7. de immunit. punet. 5. Hinc.

SECTIO II.

An, & quid dicendum, si egressus fuerit necessitate ductus?

SUMMARY.

1. Reus egressus ab Ecclesia tantum ad exonerandum ventrem statim regressurus, quia indecens est, ut Ecclesia Dei his immunditiis sordescat, gaudet immunitate.
2. Reus ad necessaria natura, absque eo, quod in domibus extraneorum se recipiat, potest ab Ecclesia progredi per spatium 30. passuum, ultra quod non prodest exarsio.

Ex dictis sequitur primò, quod idem dicendum sit, si necessitate ductus, v. g. ad exonerandum ventrem, statim regressurus, egressus fuerit: indecens enim est, quod Ecclesia Dei, locus sacer, qui omni odore bono olere debet, his immunditiis sordescat: quapropter tunc iudex non poterit eum capere, & punire, cum in

H 2 tal

tali casu non censeatur moraliter egressus è loco sacro, uti docent præter alios Fagundez de precept. Eccles. lib. 4. c. 4. n. 56. Cutellius de immunit. Eccles. lib. 1. q. 26. n. 11. & Bonacina cit. punct. 6. n. 1. in 2. effect. Vide etiam Suar. verb. Immunitas, 3. n. 34. Dian. pari. 1. tract. 1. resol. 36. Vide tandem cap. diffinit. 33. ibi: Sic tamen, ut hi, qui ad eam confugiunt, in extraneis, vel longè separatis ab Ecclesia domibus nullo modo abscedant, sed in hoc 30. passuum numero absque domorum extraneorum receptaculo progredientes, aditum obtinebunt, qualiter ad requisita nature usum debitis exeat locis, & nullo teneantur euentu necessitudinis, qui Dominici se defendendos commiserint locis. Unde colligi videtur, quod ad hunc finem datum sit hoc spatium, & ultra hoc spatium non proficit excusatio.

## SECTION III.

An, & quid dicendum, si extractus fuerit per vim?

## SUMMARIUM.

- 1 Reus si per vim extractus sit ab aliquo loco sacro, debet à iudice Ecclesia restitui, & sic non puniri, cum talis extractio, utpotè violenta, sit nulla.
- 2 Iudex, qui non fuit particeps violentæ extractionis non violat immunitatem physicè, secus est moraliter.
- 3 Iudex secularis si ab alio reum extractum à loco sacro Ecclesia non restituat, primam iniustam extractionem continuat, & sic Ecclesia immunitatem violat.

Sequitur secundò, quod idem etiam dicendum sit, si per vim ab aliquo inde extractus fuerit; quia tunc iudex neque poterit eum capere, & punire, sed tenebitur Ecclesie restituere, cum talis extractio, utpotè violenta, nulla sit, & sic reo præiudicare non debeat. Vide infra sect. 4. & 5.

Confirmatur, quia alioquin facile posset iudex confugientes ad Ecclesiam capere, & punire, si per vim ab aliis extractos licet capere, & punire posset, ut docet Valent. tom. 2. disp. 6. quæst. 15. punct. 1. ad 2. Genuens. in prax. cap. 17. num. 6. & Bonac. disp. 3. q. 7. de immunit. punct. 2. contra Suar. lib. 3. cap. 12. num. 19. in fin.

Obiicies, iudex, qui non fuit particeps violentæ extractionis, non violat immunitatem; quia non extrahit delinquentem è loco sacro, sed profano, ergo: sic Suar. in loco supra cit. quamvis subdat, quod sic primò extrahens teneatur extracto damna omnia quoad possit, compensare.

Respondetur, nego antecedens: & distingo probationem, non extrahit delinquentem è loco sacro, sed profano; physicè, concedo; moraliter, nego: quia delinquens, quamvis existat extra locum sacrum corporaliter, moraliter tamen reputatur, ac si in loco sacro sit, cum extractio, utpotè violenta (vti dicebam) nulla fuerit, & sic privilegium immunitatis reus non amiserit: quapropter si Ecclesie iudex eum non restituit, primam iniustam extractionem continuat, & sic Ecclesie immunitatem violat.

3 Obiicies, iudex, qui non fuit particeps violentæ extractionis, non violat immunitatem; quia non extrahit delinquentem è loco sacro, sed profano, ergo: sic Suar. in loco supra cit. quamvis subdat, quod sic primò extrahens teneatur extracto damna omnia quoad possit, compensare.

## SECTION IV.

An, & quid dicendum, si egressus fuerit per metum?

## SUMMARIUM.

- 1 Reus extractus per metum ei incussum, puta ob persuasam extractionem de eo faciendam à iudice seculari à loco sacro, non potest capi, neque puniri, cum moraliter in tali casu extrahi censeatur.

Sequitur tertio, quod idem etiam dicendum sit, si per metum iniuste illatum, & non vanum, sed fundatum (quod v. g. à iudice laico extrahendus sit) ex Ecclesia egressus fuerit; quia tunc iudex neque poterit eum egressum capere, & punire, cum in tali casu moraliter non tam egredi, quàm per violentiam extrahi ex Ecclesia censeatur. Atque ita docet præter alios Farinac. in append. de immunit. cap. 2. n. 55. & Lezana verb. Immunitas Eccles. n. 18. ex cap. sicut antiquitus. & c. minor, 17. q. 4. Quidquid in contrarium sentire videantur Abbas, Syluester, & alij apud Peregrin. c. 14. n. 2. quatenus aiunt, quod non violet immunitatem Ecclesia, & sic non contrahat excommunicationem iudex, qui verbis iniuriis, vel minis inducit reum ad egrediendum è loco sacro, egressumque ex illo in carcerem conicit, ex eo, quia immunitas violatur, & excommunicatio incurritur tantum ob violentam extractionem, vel cooperationem ad illam: nam ad hoc istorum Authorum fundamentum facile responderi potest ex dictis.

## SECTION V.

An, & quid dicendum, si voluntariè egressus fuerit, rogatus vel blanditiis, vel doctoris verbis inductus?

## SUMMARIUM.

- 1 Reus rogatus, vel blanditiis, vel dolosis verbis inductus ab Ecclesia voluntariè egressus capi, & puniri potest, cum in tali casu non violenter ab Ecclesia extrahatur.
- 2 Extractio sola violenta in iure prohibetur.
- 3 Adducuntur in medium plures sacri Canones prohibentes dictam extractionem, & iubentes restitutionem, contra nonnullos graues DD. contrarium sentientes.
- 4 Blanditiis, & præcipuè dolosa verba violentiæ equiparantur.
- 5 Beneficium non conferitur in iniuriam, & volenti non fit iniuria.
- 6 Ecclesia ius propriæ immunitatis illasum curat, non rei utilitatem, nisi quatenus sacris adhaeret, quo semel discedente, ius coniunctionis cessat, separataque de reo ratio habetur.
- 7 Blanda, & fallacia verba equiparantur violentiæ, habito respectu ad mulierem, & valde improprie, secus habito respectu ad virum; nam necessarius est metus cadens in virum constantem.
- 8 In iure vani timoris, ac doli ratio non habetur.
- 9 Ecclesia non fauet reis, ut reis, sed quatenus ad ipsam tanquam ad asylum confugiunt, ne ipsa violetur.
- 10 Ecclesia nunquam id sibi ad fauorem reputat, quod reuocantibus canonibus sit, quia fauor per iniuriam captatrix non est.
- 11 Ecclesia respuit rescripta fauorabilia contra ius impetrata.

12 Excom